

§. 6. Negativam multis illuetur Thōmas Patt. I.
Quæst. 110. art. 2. Johan. Wierus l. 2. de præstig. Dæmon. p. 240. 241. 242. seqq. Scheibl. l. 2. Met. Tit. 4. in Art. 1. & 2. aliique quam plurimi, quibus & nos astipulamur, his potissimum moti fulcris. (α) Quia Virtus illa πλα-
τικὴ non potest à Dæmonibus integra in semine con-
servari: quamprimum enim illud minimā etiam tangi-
tur frigiditate, virtus omnis evanescit, teste Clariss.
Harvæo in Exercit. Anatom. Exerc. 72. (β) Quod ex Hi-
storiis nunquam possit demonstrari, quod verè aliquid sit
generatum à Dæmonum Concubitu; sed vel bufo, vel
corvus, vel rana, vel serpens, vel simile aliquod bru-
tum sit eductum, quod suppositum & aliundē ablatum
credendum est.

§. 7. Jam responsione diluenda essent contraria
argumenta. Priusquam autem id dabimus effectum,
præmittimus: Voces Incubi & Succubæ posse dupli-
ter accipi, nec utroque modo esse admittendas. 1. enim
Veteres affectum illum, cum Spiritus animalium à vaporibus
crassis juxta thoracem intercipiuntur in somno, quo minus in
cerebro influxum præstare possint, affectum, inquam, illum, &
fæmina accideret, incubum; si masculo, succulum appellabant,
eà decepti opinione, quod Cacodæmon fæminis incumberet, & ma-
rem se gerens semen emitteret, marihus autem succumberet, &
tanquam fæmina semen ab illis reciperet. Voces Incubi &
succubi sic sumptæ non conveniunt rectæ rationi & mi-
nimè tolerandæ. Siquidem (α) est affectus naturalis tam
in fœminis, quam masculis suam agnoscens causam, &
Dæmones nihil cum eo habent commercii: unde non est,
quod hic distinguamus inter Incubum & succubum,
cum sit idem affectus, qui & idem nomen demereri pote-
rit. (β) Cum & Pii & Sancti, in quibus tamen nullam te-